conversatio. Illud variis exstitit spectandum coloribus, hoc diversis virtutibus et sanctis actibus venerandum. Domum quippe Dei decet sanctificatio, quae non politis marmoribus, quam ornatis moribus delectatur, et puras diligit mentes potius quam auratas parietes. Ornata tamen hujus quoque facies templi armis, non gemmis et perantiquis coronis aureis, circumpendentibus clipeis paries operitur pro candelabris thuribulis et urceolis; domus undique frenis et lanceis communitur, quia milites Christi eodem zelo, quo ipse, cum negotiatores flagello expelleret, pro domo Dei ferveant, arbitrantes longe indignius et intolerabilius, sancta pollui ab infidelibus, quam a mercatoribus incestari. In domo sacra cum equis et armis commorantur, ut ab ipsa et a caeteris sanctis locis omni infidelitatis spurca et tyrannica rabie propulsata ipsi in ea die noctuque tam honestis quam utilibus officiis occupantur, honorant certatim Dei templum sedulis et sinceris obsequiis, jugiter in ea denuo vota immolantes, non quidem veterum ritu pecudum carnes, sed veras hostias, pacificas, fraternam dilectionem, devotam subjectionem, voluntariam paupertatem. Haec Hierolymis actitabantur tempore b. Bernhardi, et orbis in devotionem excitabatur. Tepescente autem illo templi zelo militum, mox stulta gens paullo ante expulsa rediit et explosis tepidis et carnalibus crucis cultoribus templum Christi sacrum iterum exsecrantes muscheam profanam fecerunt. Et hoc heu! sic est. Nam Sarraceni loci sanctitatem et magnalia ibi gesta cognoscentes templum valde venerantur mirabili diligentia et cultu exteriori illud mundissime conservant abstersione cottidiana intrinsecus et extrinsecus, (**261 A**) et omnia sunt splendida et polita, ita, ut sit delectabile videre. Sed et ipsi Sarraceni non ingrediuntur hoc templum, nisi suis baptismatibus purificati, et tunc cum maturitate et compositis moribus adveniunt, non simul, sed quilibet solus incedit, etiamsi sit magnus dominus, nec colloquuntur, nec pueros, nec canes secum ducunt, ut nemo patiatur in oratione impedimentum. Mulieres propriam portam habent, per quam atrium et templum ingrediantur, et propriam absidem in templo, in qua orant sine virorum praesentia, et menstruosae in domibus manent, nec quovis modo templo appropinquare permittuntur. Singuli autem discalceati atrium intrant et in

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;